





23

1747,3

A7

DISSE<sup>T</sup>AT<sup>O</sup> IN A<sup>N</sup>V<sup>G</sup>R<sup>A</sup>LIS IVRIDICA  
DE  
**IVRAMENTO  
IVDAEORVM**  
von Juden. Ehd

QVAM  
DIVINA AVXILIANTE GRATIA  
EX DECRETO  
**ILLVSTRIS ICZORVM ORDINIS**  
IN ALMA LVDOVICIANA

PRAESIDE  
VIRO ILLVSTRI, MAGNIF. ET CONSULTISSIMO  
DOMINO

**D. IO. FRIDERICO KAYSER**  
ICTO CONSMATISSIMO IN REGIMINE ET CONSISTO-  
RIO ECCLESIASTICO DIRECTORE GRAVISSIMO IVR. P. P. O.  
ET PRIMARIO H. T. ILLVSTRIS IVRIDICI ORDINIS DECA-  
NO SPECTATISSIMO NEC NON RERVM OECONOM.  
INSPECTORE PERPETVO

PRO FACULTATE SVMMOS IN VTRQVE IVRE  
HONORES ET PRIVILEGIA DOCTORALIA  
RITE ET LEGITIME CONSE<sup>Q</sup>VENDI  
PVBLICAE ERVDITORVM DISQVISITIONI

SUBMITTIT  
AVCTOR ET RESPONDENS  
**IOHANN GVILIELMVS ENGLERT**  
SVINFVRTO - FRANCVS

DIE DECEMBER. 1300 XXXVII.

GIESSAE, TYPIS E. H. LAMMERS, ACAD. TYPOGR.



DIVINITATIS INVENTORUM LIBRARIA  
DE

# IVARA MENTO IUDAEO RVM

post Simplicem Ep

oam

DIVIN AVXILIANTIS GRATIA  
EX DECERITO

ILLUSTRISSIMO ORBIVM  
IN ALIA TALICIANA

Præfatio

PROVINCIALI COMMUNIONE

Dominio

D. IO. HERDERRICO KAYER

ICIS CONSERVATIONIS IN LIBRIS IN EDITIONE

KIO FORTISSIMO DIRECCTIONE CAVARANDIS AC PRO

ET PRIMARIO A. T. HISTORIÆ IUDÆORVM ORIGINIS DECVR

NO SPERGATORVM MO NOSTRAVM DECONOMIA

PERFECTORES ET LITERATI

PRO MONASTERIIS SURNAMATIS APROBATA

MONASTERIIS ET LIBRARIBUS SOCIOGRAPHIA

RIBA ET LIBRARIBUS COPIOSA DEMONSTRATIO

LATERICE EVIDENTIORVM DEDICATIONIS

ALIAM

ALIAS ET BIBLIOTECAS

JOHANN GALLIENIUS ENCIPIENS

ZWILLAGO FRANCIAE

ALIAS

DE ELEGEMBRI ET DECERITO

GRANSI LISSÆ H. LIVRARIBVS AEGYPTI



## PROOEMIVM.

**Q**uamvis Iudaeorum gens hodie sere abiectionis hominibus accenseri & pro nibilo vulgo ponis soleat, longe-  
dissimiliter tamen **B. LUTHERVS** pronunciat, ob unicum Iudeum, **CHRISTVM**, Iudeos omnes a nobis, qui eius  
adscripti sumus familiae, diligendos esse. Evidem inficias  
ire nolim, quod alieno plane in nos sint animo, usque eo,  
ut **C. GEORG. GVILL. OVERKAMPF** peculiarem  
dissent de Iudeis primariis Christiani nominis hostibus  
Ienae M DCC XXXVI. habere non dubitarit. At iuxta  
mandatum Sosipatoris O. M. lenitate potius & omnibus hu-  
manitatis officiis eos deuincere, quam par pari referre praes-  
stat. Vix vero Theologorum potissimum est, conuersationem  
coru[m] sedulo promovere, ita Principibus & magistratibus  
incumbit, ut securitati ipsorum propiciant, illosque ab in-  
teriori, vexationibus & causulationibus plebis tutos praeservent,

praeprimis autem omni ope impediant, ne quid Ecclesiae ac  
 Reipublicae ab iis detrimenti accedat. Quandoquidem igit  
 ur Christianis passim intermixti degunt, commerciisque &  
 aliis ciuilibus negotiis cum illis coniunguntur, fieri profecto  
 nequit, quin lites & contentiones inter utramque exoriantur  
 partem, quae non alia saepius via, quam iureiurando  
 interposito dirimi possunt, unde & in foro Iudacis illud haud  
 raro decerni assulet. Non indignum hoc argumentum mihi  
 visum est, quod peculiari dissertatione excutiatur, id quod  
 pro tenui mea parte efficere conatus sum. Negue vero eo meus  
 collineat scopus, ut enarrem, qui ratione, quibusue caeri-  
 moniis Iudaei inter se iuramenta praestare in more possum  
 habeant; id enim ex iis libris, qui illorum ritus sunt per-  
 secuti, peti potest: Nos enim in dissertatione hac inaugurali  
 de iis, quae ex decreto Iudicis Christiani Iudei in foro in-  
 junguntur, agere apud animum constituimus nostrum. Ita  
 vero opellam hanc dispescimus, vt Cap. I. de Iudeis & eo-  
 rum tolerantia differamus; Cap. II. iurisiurandi notio-  
 nem generatim exhibeamus & in specie cur, quomodo &  
 quibus cautelis ad illud Iudaei sint admittendi trans-  
 mus; Cap. III. denique speciales iuramenti huius casus  
 proponamus. Ut autem summum NVMEN gratiae &  
 xilio nobis praesto esse velit, deuotis & enixissimis  
 precibus contendimus.

Immanuel!

*Immanuel!*

## CAPVT I.

**Q**um Iudeorum iuramenta, & quid circa ea sit obseruandum, rudi penicillo delineare nobis sit constitutum, de nomine & origine ipsorum quaedam delibare licebit. Quantopere autem auctores profani, & imprimis grauissimus cetera scriptor C. TACITVS, qui a monte in Creta, Ida, Iudeorum nomen accersit *a)* alucinentur, nemo non videt, quum potius gens haec ex Abrahami prosapia oriunda ab eius pronepote, ut inter omnes constat, Iuda, denominationem sit sortita. *b)*

A;

f. II.

*a)* L. V. hist. cap. II. In genere fallas Gentilium scriptorum narrationes collegerunt & solide confutarunt IOH. IAC. SCHVDT in compendio historiae iudeicae nec non IOH. REVSKIVS, GEORG. CASP. KIRCHMAIERVS & IO. GLORG. ARTOPOEVS in commentationibus suis de hoc argumento, quas iunctim edidit Cel. IVLIVS CAROLVS SCHLAEGERVS in fasciculo dissertationum rariorum de antiquitatibus sacris & profanis.

*b)* Cur potissimum a Iuda? exponit IO. ADAM. RECHENBERG. in Hiero. Lexico p. 845. Iosephus hanc appellacionem cum primum huic populo inditam esse tradit, quando a Babylonia est reuersus. L. XI. Antiqu. Ind. c. 5. t. m. 372.

S. II.

Quamvis vero DEVS O. M. olim populum hunc  
in peculium sibi adscitum, singularibus plane praeroga-  
tiuis, p[re] caeteris totius orbis populis, ornauerit &  
admirando prorsus amore fouverit, flagitiis tamen suis,  
perfidia & inobedientia Summi Vindicis iram identi-  
dem prouocasse & grauissimas in se coneitasse poenas  
noquimus. Inde imprimis factum est, ut e regione sua  
patria, vah! quam amoena, depulsus, in triste exilium  
haud vna vice secedere fuerit coactus, quod quam ma-  
xime post dirutam Hierosolymam, & eversam penitus  
Iudaorum rempublicam contigit, a) ita, ut in omnes  
fere mundi habitabilis partes Iudei sint reiecti, qua de-  
re TERTULLIANVS scribit: *Dispersi palabundi e[st] coe-  
li & soli sui extores vagantur per orbem d[omi]ni cui succinit  
PRUDENTIVS: e)*

*Exstiliis vagis hic illuc fluitantibus errat  
Iudeus, postquam patria de sede reuulsus.  
Supplicium pro caede luit Christique negati  
Sanguine respersus commissa piacula soluit.*

S. III.

Quotus quisque vero est, cuius animum admiratio  
non subeat perpendentis, quod gens haec & mori-  
bus

e) De dispersionibus his Iudaorum conf. MATTHIAS ZIM-  
MERMANN in Analect. miscellis mensis IV. p. 179. MELCH.  
VIBLEIDECKERVS de Rep. Ebraeor. T. II. L. IX. c. 1. & 4.  
P. CVNAEV[us] de Rep. Ebr. L. II. c. 23, p. m. 218, sqq.

e) Apolog. adu. gentes c. 21. f. 561. edit. Basil. 1581.  
e) In Aperiheosi V. 540 sqq. p. m. 514.

bus & religione ab omnibus aliis abhorrens in hac  
diuinitate per XVII. saec. ad hunc usque diem mirificè  
conseruata, nec cum aliis populis commixta sit, cuius  
inde ab orbe condito vel vicum quidem consimile ex-  
emplum in medium proferre poterit. Quare nulli du-  
bitamus, quin admiranda DEI prouidentiae, quae sa-  
pientissimas causas agnoscit, id omne cum H. GRO-  
TIO f), IAC. BASNAGIO, g) IO. CHRIST. WA-  
GENSEILIO, h), aliisque id iure meritoque adcri-  
bamus.

#### ¶ IV.

Proscuti e patria sua nostrae quoque germaniae  
fines perierunt, quamuis, quo portissimum tempore hec  
domicilium aequa ac patrocinium querere coepirint,  
certo definiiri non possit. Vero tamen simile est, ante  
Christi Salvatoris O. aduentum id iam factum esse, im-  
primis in nonnullis, quas Rhenus alluit, regionibus,  
qua de re CHRIST. LEHMANMVS i) consuli pote-  
rit; id quod & WOLF, LAZIVS k) de locis circa Vin-  
dobonam

j) De vera relig. christ. L. I. §. 14.

k) T. I. Histoire de Juifs in prodecimo, ubi scribit: Par un mi-  
miracle de la Providence, qui doit causer l'étonnement de tous  
les Chrétiens, cette nation haine, persécutée en tous lieux des  
sihars, a un grand nombre de foyers subsisté en core en tout temps.

l) In telis ign. Sathanæ p. 142. Add. Socrates modernus l. Spellau-  
tum T. V. diis. 30. p. 184. lqq. & PET, ZORNII hist. fisci in-  
dicti p. 16.

m) in der Speyerischen Chronic L. V. c. 27. f. 472, al.

n) in migratione gentium L. I. p. 19. Add. IO. PET. de LVDT.  
WIG in der Erläuterung der guldernen Bull. s. 2. f. 2. lit.  
bb. p. 847. lqq.

. ) 8 ( .

dobonam ex quibusdam inscriptionibus consumat,  
Et certe, ut in peregrinos antiquissimis temporibus Ger-  
mani nostri benigno animo fuerunt; ita mirari non fu-  
bit, quod pari humanitate Iudeos exceperiat. IO.  
IAC. SCHVDTIVS Iulii Caesaris aetate ad nos gentem  
hanc commigrasse hariolatur.<sup>1)</sup> Quicquid autem hu-  
ius sit, id certo certius est, immensam Iudeorum mul-  
titudinem sensim Germaniam nostram inundasse & pas-  
sim receptam esse, hodieque in complurimis territori-  
is Christianis permistam conspici.

§. V.

Dum vero singulari prouidentiae diuinae Iudeorum  
conseruationem adscripsimus, facile quaesito, a Theologis  
aeque ac Ictis proposita, solui potest, an in Republica  
Christiania sint tolerandi? Non desunt quidem graues  
scriptores, qui extiale hoc genus hominum, quod virus  
est rerum publicarum, territ mirantur, verba sunt Can-  
cellarii quondam Tubingensis IO. WOLF IAEGERI.<sup>2)</sup>  
Nec inficias ire possumus, quod ipsi LVTHERO du-  
fiora quaedam de hac gente excederint.<sup>3)</sup> Enimuero  
quoniam DEVS tot modis edocuit, se non velle, vt  
gens haec radicitus extirpetur, eur homines illam to-  
lerare nollent. Nonne hoc esset diuinae prouidentiae  
obniti? Et praefat sane, vt inter Christianos, quam in-  
fideles degant, cum hoc pacto conversioni sua media  
ipsi

<sup>1)</sup> in Jüdischen Merkwürdigkeiten P. I. c. 5. p. 317. 599. sqq.

<sup>2)</sup> in hist. eccl. larc. XVII. T. I. f. 340.

<sup>3)</sup> in tr. von den Juden und ihren Lügen T. VIII. Jep. f. 49. sq.

ipfis suppetant. Et hoc quoque varii Recessus Imperii  
docent, quod non eiendi sed tolerandi sint, de quo  
MEVIVS consulatur. n. 2.)

§. VI.

Neque tamen tolerantia haec temeraria & promi-  
scua, sed cauta sit oportet, ut post GERHARDVM <sup>a)</sup>  
Illustris Viri, IVST. HENN. BOEHMERVS, p) LV-  
DOLFVS <sup>g)</sup>, IO. IDOCVS BECKIVS <sup>r)</sup> & GEORG.  
HEINR. AYRER <sup>s)</sup> eximie demonstrarunt. Toleran-  
di enim sunt, sed iis cancellis includendi, ut nomini  
reique christiana, vt reipublicae nihil inde detrimen-  
ti, nihilque dedecoris accedat, quare non nisi sub certis  
legibus, quas praeter allegatos suppeditant IO. GOTTL.  
HEINECCIVS <sup>t)</sup> & IO. RVD. ENGAV, <sup>u)</sup> impri-  
mis magnus quondam Vir I.C. WAGENSEILIVS <sup>x)</sup>  
grauiiter Magistratus admonuit, ut omni zelo prouide-  
ant, ne optimum seruatore atque sanctissimam no-  
stram religionem blasphemis suis dehonestent; id quod  
inter alios aeterna laude dignus FRIDERICVS I, Rex

B.

Bo.

<sup>a)</sup> P. VII. dec. 350.

<sup>b)</sup> in LL. Theol. de Magist. Pol. §. 225. p. m. 805. lqq.

<sup>c)</sup> in diss. de causa Iudaeorum tolerantia, habita Halae A.

1717.

<sup>d)</sup> Ober. for. cont. app. 2, p. 370.

<sup>e)</sup> de iuribus Iudaeorum c. 2. p. 15. lqq.

<sup>f)</sup> Sub eius praesidio habita est tractatio iuridica de iure recipi-  
endi Iudeos, Göttingae A. 1741. quibus add. Anonymus  
in tract. von den Juden P. I. p. 25. lqq.

<sup>g)</sup> in Elem. Iur. Geru. L. I. T. V. §. 128.

<sup>h)</sup> in Elem. Iur. Canon. Pontif. Eccles. L. III. T. 3. de Iudaismo.

<sup>i)</sup> in denunciatione sua christiana saepius excusa.

Borussiae, qui editio severissimo Iudeos recitatione pre-  
cationis suae, Olenu, in optimum Seruatorem nostrum  
injuriae prohibuit <sup>y)</sup>, nec non GEORGIVS, Hassiae  
Landgravius, piae memoriae, impense ea propter col-  
laudatus IO. HOORNBLICKIO praefliterunt. <sup>z)</sup> Et  
quotusquisque summis praeconiis non eueheret, quod  
iussu Ser. Marchionis Brandenburgo. Onoldini Anno  
M DCC II. Furthi Iudeis omnes libri blasphemias in  
CHRISTVM & sanctissimam nostram religionem con-  
tinentes sint ablati? <sup>a)</sup> Quodsi autem pacate & iux-  
ta normam legum ipsis prae scriptam se gerant, tolerari  
illos, & posse & debere, merito existimamus. <sup>b)</sup> Equi-  
dem primitus inter reseruata Imperatorum censematur,  
Iudeos recipere, qui adeo vulgo Thro Kaiserl. Maior-  
ität Kämmerknechte nuncupabantur, <sup>b)</sup> successu tem-  
poris autem omnibus Principibus & Statibus imperii,  
quibus ius superioritatis territorialis competit, id con-  
cessum est, unde a Doctoribus ad regalia maiora re-  
fertur. <sup>b)</sup>

## §. VII.

- <sup>y)</sup> Quod emanauit anno 1703. d. 28. Aug. & legi meretur apud  
BOEHMERVM, in diss. cit. p. 28. nec non IO. IAC. SCHVDT-  
TIVM. In den Jüdischen Merkwürdigkeiten T. II. De ipso  
autem hac famosa precatione, Olenu, confalantur IO. BVX-  
TORFFIVS, in syrig. iud. c. X. IO. ANDR. EISENMEN-  
GER in entdeckten Judenthum P. I. p. 81. sqq.  
<sup>z)</sup> in tract. de convertendis Iudeis, in proleg. §. 25. n. 35.  
<sup>a)</sup> v. Broygo in Christfeli, quas extat in frontispicio des. alter  
Judenthum P. I. p. 12.  
<sup>b)</sup> in iure Alemannico c. 76.  
<sup>b)</sup> conf. GOLDASTVS in denen Reichs-Sachungen T. I. fol.

Quam iustas igitur causas recipiendi Iudeos Scz-  
tus Imperii habuerunt, tam legitimas etiam quidam in-  
uenerunt, hoc beneficio, quo se ipsos variis modis in-  
dignos reddiderunt, iterum eos priuandi, ut etiam e  
multis regnis. Lusitania, Hispania, Gallia aliisque re-  
gionibus electi fuere. c) Impraeſentiarum mihi licebit  
patriae meae dulcissimae, Suisfurthi, imprimis mea-  
tionem iniicere, cui circa medium Saeculi XVI. onere  
hoc se leuandi grauissimae rationes suppeterunt. Quan-  
doquidem enim varias turbas excitabant, & mordaci-  
bus imprimis vſuris ciues plerosque ad incitas redige-  
bant; Caſfaream Maiestatem, CAROLVM V. glorioſ-  
memi, ſubmiſſime implorarunt, ne in vrbo, poſt fatal-  
e eius incendium, bello Albertino illatum d) e cine-  
tibus suis exſurgentem, Iudeos, priftinae calamitatis

187. LIMNAEVS T. IV. iur. publ. p. 845. CASP. MAN-  
ZIVS centur. decisionum palat. quæſit. XCV. SAM STRYK,  
in vſu moderno Lib. L. tit. I. §. 9. &c., quos hic excitat plures  
auctores.

a) Collegit haſce Iudeorum electiones IAC. AVG. FRAN-  
CKENSTEIN de iuribus ſinguli, circa Iud. maxime in Germ.  
cap. I. §. 6.

d) Dſcribit illud magnum quondam Patriae meae decus Olym-  
pia Fulvia Morata, calamitatis huius ſocia, oppido ταδη-  
τικον in opp. ſuis epift. L. II. p. 160. lqq.

e) Verba AVGVSTIſſIMI ita lovant: Weil die vor dem un-  
glücklichen Brand in der Stadt gewohnte Juden ihres un-  
heimlichen Wuchers halber die gemeine Stadt in merflichen

altiores, denuo recipere cogerentur. Tanti visae sunt Augustissimo adlatae rationes, ut privilegio gratiosissimo Suafurthum in perpetuum a Iudeis liberaret, quo & hodie pacate fruimur, ita tamen, ut alibi degentibus interdui hic versari liceat.

## J. VIII.

Interea in iis locis, vbi domicilium ipsis conceditur, merito iis beneficiis, quae iis ius naturae concedit, gaudent. Vt enim in ciuium numerum non asciscantur; [id quod tamen Wormatiae fieri SCHANNAT docuit, & ex co HEINECCIVS<sup>f)</sup>, nec non Schvveinsbergae in Hassia, vbi enarrante Cel. IO. PHILIPP. KVCHENBECKER quatuor Iudei ciuium numero adscribi solent, g)] attamen ut incolae recipiuntur, eaque ex cauſa Schuf Juden<sup>h)</sup> vocantur R. I. 1548. vnde merito iis ius commercii, quod omnibus hominibus liberum est, i) immo alia humanitatis officia non sunt deneganda. Eadem de cauſa Imperatores variis legibus eorum securitati prospexerunt, quod

iam

Schaben und schwehre Schuldenlast gesetzet, und viel ihrer Bürger und Einwohner von häufiglichen Ehren vertrieben worden<sup>c)</sup>. Privil. hoc datum est Bruxell. A. 1555. d. 3. Sept. & confirmatum a FERDINANDO I. glor. mem. Aug. Vind. A. 1559. d. 10. Apr. vid. die Schweinf. Polizey-Ordnung T. XXXIII von den Juden.

f) in Elem. Iur. Germ. L. I. tit. 5. §. 128. \*

g) P. I. anal. Hass. p. 91.

h) Cel. IO RVD. ENGAV. in Elem. Iur. German. L. I. T. 6. membr. 2. § 128. \*

i) MEV. Decr. P. VIII. d. 350.

13

---

iam Augusti HONORIVS & THEODOSIVS & ) sua  
aetate laudabiliter p̄fessiterunt. Imprimis in Germania  
nostra sub Imperatoris protectione degunt <sup>1)</sup> & in  
mīibus, vbieunque sunt, territorii. Principum legibus  
& statutis subiciuntur, exceptis legibus specialibus. <sup>m)</sup>  
Itaque dum in societate vivunt, & inter se aequē ac eum  
Christianis multum commercii habent, fieri non po-  
test, quin variis actionibus, contradictionibus & rixis  
pāssim imminisceantur, e quibus nulla alia, nisi inter-  
posito iuramento, via elabendi supereſt. Hinc, ut pro-  
plus scopō nostro accedamus, inquirendum est, an &  
qua ratione Iudei iuramenta p̄festare queant.

---

## CAPVT II.

### §. I.

**I**uramentum in genere nil aliud est, quam actus re-  
ligiosus, quo quis in alicuius enunciationis modo,  
rem fidem inuocat DEVM, tanquam testem veritatis  
& vltorem perfidiae. Evidem non nescimus, Dogli-  
simos Viros in forma iuris iurandi constituenda haud  
prosorsus inter se conuenire. Quidam enim sufficere e-  
xistimant, si DEVS, qui corda hominum percorutatur,  
telis inuocetur, vi MICH. HEINR. GRIEBNER sta-

B' 3 tuit.

1) in L. nullus 14. C. de Iudeis & coelic.

2) vid. FRANCKENSTEIN l. c. C. I. s. 12.

3) 1. 8. C. de Iudeis. Adeo WEHNERVM in obl. p̄fct. Tr.

Juden p. m. 222. binec non C. I. ENGAV. in Elem. iur. Can.

L. II. T. II. de Iudaism. § 17.

tuit. n) E contrario illi ad esentiam iuramenti pertinere hoc negant, quia magis DEVS ut iustus index quam testis inuocetur, & vnu idemque commode inuocari nequeat, vt index & testis, quo tendit LATTERBACHIVS, o) pluribus id defendit IO FRANC. BVDDEVSp) & post illum Illust. IVST. HENN. BOEHLERVS, q) aliosque vtriusque sententiae patronos in medium profeti IVST. MART. GLAESENER, r), qui, adductis variis rationibus, imprimis ad loca scripturae Gen. XXXI, v. 50. & 1. Sam. XII, v. 22. prouocans, satius esse existimat, quodsi vtrumque heic coniungamus. Vti vero nostrum non est, hæc compone literes; ita tantisper nos in ea definitio, quamiam H. GROTIUS dedit, quod nempe iuramentum sit attestatio religiosa, quae fit DEO teste & vindice, acquirestere voluimus. s) Ven. C. M. PFAFFIVS ad esentiam iuramenti plane non spectare, vt DEVS tanquam testis & iudex in specie adiocetur, sed plenam hanc esse definitionem statuit, quod sit assueritur vel asserti vel promissi, quum vere quis DEVUM credat viuere vel existere. t) Interim tamen mox concedit, quod hoc iuramento adiici possit, ad eo maiorem terrorem habendam minibus.

n) In princ. iurispr. nat. L. I. c. 7. §. 8. p. 100.

o) In Coll. theor. pract. P. I. L. 2. T. 2. §. 3.

p) In instir. theol. moral. P. II. c. 9. S. & V. §. 10. In not.

q) I. E. P. L. 2. T. 24. §. 2. p. 1865.

r) Misbrauch der Ehre C. I. §. 4. innot.

s) De iure belli & pac. L. II. c. 13. §. 1. & 10.

t) In distinc. de vera iuramentorum notione e. sacris pandectis depromenda C. II. p. 5. qu.

minibus incurriendum; largitur porro quod veteres Iudaici olim id subinde addiderint, nil autem momenti alere obiectionem addi, qua dicitur, Deum non simul in vindicem & testem invocari posse, quia in humanis judicis haec consistere nequeunt, cum a foro humano ad diuinum non valeat saltus. E quibus Celeb. PFAFFI verbis dispaleat, quod re ipsa a nobis haud dissentiat. In verbis autem cur faciles non erimus?

S. III.

Neque vero opus esse existimo, ut inter Christianos licita esse iuramenta, pluribus heic euincere sufficiam; cum ipse Apostolus extra omnem dubitationis aleam hanc rem collocauerit, Ebr. VI. v. 13. n<sup>o</sup>) Rationes autem, quae in contrarium adferri loeant, a Theologis aequae ac ICtis solide sint discussae. E multis confundatur, quem iam laudauimus, GLAESENER. z)

S. IV.

Quicquid vero huius sit, id tamen tam certum est, quam quod certissimum, acum religiosum & pro parte cultus diuin illud reputandum esse, vt IO. GERHARD. y) IO. IVST. SCHOMMERVS, z) aliquo do-

cent.

n<sup>o</sup>) ROBERT. SANDERSON de iur. prom. obligacione Praelect. VIII. §. 10. p. 235. lqq.

w<sup>o</sup>) loc. cit. C. 1. §. 2.

y<sup>o</sup>) In iudicio de testamentis ap. DEDEKENVM in cons. Vol. II.

f. 336.

z<sup>o</sup>) In doctr. mor. Cap. 8. §. 13. pag. 101. Plures dabit Vener.

CHRIST. HEINR. ZEIBICHIVS de iuris. per Dei gene-

tricem, & sanctos reliquias minime praestando. l. 9. 4.

cent, imprimis Cel. PFAFFIVS, qui tamen obseruat, quod iuramenta politica mediate tantum ad cultum diuinum spectent. a) Quid, quod ex rationis dictamine eo penetravit CICERO b) vt pronunciaret: Iusurandum est affirmatio religiosa. Quod autem affirmat, quasi DEO teste, promiseris, id tenendum est. Quia ex re prono alueo consequitur, aequum utique ac iustum esse, vt omni reuerentia atque summa adhibita circumspectione circa iuramenta versemur, ne periurio & diuini nominis profanationi fores temere aperiantur, quod & Viri Illustres AVG. LEYSERVS c) & GEORG. HEINR. AY. RER. d) grauissimis inculcant verbis.

## §. V.

Eo magis igitur nostra refert, vt id in foris respectu Iudeorum obseruetur; nec immerito quaeritur, an iuramenta ab iis exigi queant? Certe haud leues rationes obstat evidenter, quo minus ad illa admittamus Iudeos. In aprico est, quod per neminem nisi verum DEVUM valide iurari possit; quapropter DEVS O. M. populo suo toties, & quidem, vt ipsi Iudei numerant, XLIV. locis severissime injunxit, vt in suo, non idoli iusdam, nomine iuramenta edant, e) Quod vero Iudei

a) h. c. p. 2. b) RECEPIT ANDERSONUS in his propositis.

b) de offic. L. 3. c. 4.

c) In Medit. ad ss. de offic. iudicis circa iusur. med. II. & in respons. Theol. & ICtor. Helmst. nomine edito, quod exstat in ipsis florum sparsione ad Aug. Conf. §. 27. p. 56. sqq.

d) in diss. de abusu iuram. e republ. proscribendo.

e) vid. IO. FRID. HEVNISCHII Pst. quondam priu. in patris mea diss. de iuramento per creaturam Lips. 1684. hab. 5. 5.

dæi hodierni personarum Trinitatem p̄aeſtate ne-  
gantes, verum DEVM non adorent, inter omnes conſtat.

## §. VI.

Porro a.) experientia, optima magistra, confir-  
matum nouimus, quod conscientiae, iustitiae atque  
aequitatis exigua ipsis habeatur ratio. Venit mihi nunc  
in mentem CHRISTIANI AVGUSTI, Comitis Palati-  
ni litteratissimi & imprimis in hebraicis versatissimi  
Principis, f) qui Iudeo ad conscientiam suam quo-  
dam prouocanti obiiciebat, temere id a Iudeis fieri,  
qui tantum absint a conscientiae intemeratae conſer-  
uandæ studio, ut ne nomen quidem in lingua verna-  
cula habeant. Quæ res dissertationi ansam dedit IO.  
MICH. LANGO g) vti id enarrat GVST. GEORG.  
ZELTNER. b) Iam vero ad iuriurandum non admittit  
tur, cum aliquis subest periurii metus, iuxta MEVIVM.  
Siccine igitur, dum Iudei conscientiae suæ tam exi-  
guam rationem habeant, nominis supremi profanatio-  
ni temere occasionem dare decet?

## §. VII.

Hicce accedit 3) subdolus ipsorum animus, qui  
totus ex mendacio & fraude factus omnia iuramenta fa-  
cile elidere non veretur; siquidem pleni rimarum nul-

C

la

f) Cui metu in distribe ſua; Princeps hebraice doctus §. 12.  
locum vindicavit D. GEORG. HEIN. GOETZIUS.

g) diff. de appell. conc. Iobaco. Alcd. A. 1699.

b) in Vitis Theol. Altorphin. p. 482. in nor.

i) Part. V. dec. 47.

la in causa tot fidei vinculis possunt adstringi, quin  
quo elabantur, aliquid inuenient. Quare saepius no-  
bis collaudatus SCHVDTIUS de ipsorum imposturis  
integro egit capite. <sup>k)</sup> Et hinc tantum abest, ut Rab-  
bini ab hoc dolo eos abstrahant, quia potius in hac ma-  
litia confirmant, quod ex ipsorum scriptis demonstrant  
SAMVEL FRID. BRENTZ<sup>l)</sup> & copiosius IO. ANDR.  
EISENMEGER. <sup>m)</sup> nec non GEORG. ELIEZEK ED-  
ZAKDVS <sup>n)</sup> docentes, quod Iudei per mentales refer-  
uationes iuramenta confessim infringere, nec religio-  
ni sibi ducere soleant, Christianos periuris fallere. Imo  
in ipso Talmude eos doceri enarrant, posse iuramenta,  
dum praestantur, confessim in mente aboleri, ut non  
obligent. Fallor? igitur an apud ipsos re vera vfo ve-  
nit, quod ex EVRIDIDE CICERO adfert: *Iurari lin-*  
*gua, mentem iniurata gero.* <sup>o)</sup>

§. VIII.

Praeprimis <sup>q)</sup> maxima perfidiae atque malitiae  
fuscio in Iudeos cadit, quia quotannis die ipsorum  
magno, cum grossen Versöhnungs Tag / ab omnibus  
iuramentis praefititis absolui perhibentur, qua de re  
haud contemnenda testimonia in medium proferunt,  
CHRIST. WILDVOGEL<sup>p)</sup> & IO. IODOC. BECK. <sup>\*)</sup>

§. IX.

<sup>k)</sup> L. VI. c. 13.<sup>l)</sup> In seinem Jüdischen abgestreiften Schlangen-Psalg.  
C. 4. p. 21.<sup>m)</sup> Im entdeckten Judenthum P. II. c. 2. p. 578.<sup>n)</sup> in tract. Talm. de Idolatria C. I. p. 279 lqq.<sup>o)</sup> L. III. offic. c. 29.<sup>p)</sup> in diff. de iuram. Iudeorum. c. 1. §. 4.<sup>\*</sup>) in tract. de iuribus Iud. C. XVI. §. 20.

§. IX.

Denique <sup>5)</sup> nec illud silentio praetereundum est, quod Magistratus Christiani auctoritas parui apud eos reputetur. Quam astute enim & verbis & gestibus, tamquam egregii fallaciarum architecti blandiri illis callent; tam abieciunt tamen de illis Iudeos sentire I. A. EISENMENGER edocet; vnde & in ea opinione haerent, quod iuramenta per vim iniuncta nullam obligationem inuoluant. <sup>q)</sup>

§. X.

Haec si accuratori mentis trutina perpendimus; mirari haud subit, quod Viri nonnulli doctissimi parum iuramentis Iudeorum tribuant, atque fere ambigant, an istiusmodi iuramenti formula excogitari possit, quae ex principiis fidei iudaicae certi quid promittere queat, quos inter I. I. SCHVDTIVS <sup>r)</sup> & G.E. EDZARDVS <sup>s)</sup> locum sibi vindicant. Quo etiam primo intuitu spectare videtur diss. sub Viri Illustris, IO. GEORG. ESTORIS, praesidio in vicina Academia habita, <sup>t)</sup> ait e capite V. eius §. LXIII, patet, quod Cl. Dn. Auctor non omnia Iudeorum iuramenta futilia esse pronunciet.

§. XI.

Enimuero quam graues etiam hae rationes sint, ita, ut exinde appareat, quod magna circumspectione

C 2

hic

g) Im entdeckten Judenthum P. II. c. 9. p. 509. sqq. §. 2.

r) loc. cit. T. I. L 6. c. 28. p. 65.

s) in tract. Talmud. de Idolatria p. 279.

t) de Lubrico iurisurgandi Iudeorum.

hic opus sit ; omni tamen exceptione maiores mihi non esse videntur nec eo me abducere valuerunt , vt Iudeos ideo ab omnibus iuramentis arceri debere statuam . Nam , quod primum dubium attinet , id quidem exinde consequitur , quod non temere aut deferre aut acceptare eiusmodi iuramentum , quod per falsum Deum fit , liceat ; interim tamen , vbi non alia negotia expediendi ratio superest , summaque ideo necessitas requirit , tam illicitum hoc reputari nequit . Hac enim parte respiciendum est ad animum & intentionem iurantis , qui , sicut falsum Deum pro vero habet , ita existimat , iuramentum a se praesitum verum esse ; quo etiam obligatur , ac si per verum Deum iurasset , verba sunt FRIDEM . BICMANNI , <sup>u)</sup> cum quo consentiunt Cel . AVG . FRID . MULLER , hospes atque Praeceptor meus Lips . <sup>x)</sup> imprimis SAM . STRYCK . <sup>y)</sup>

## §. XII.

Nec 2 . ) a mente hac me dimouer , quod conscientia Iudeis adeo haud curae cordique sit . Denatur enim inter Iudeos , qui animi levitate ducti iuramenti religionem eludere non verentur . Ecquis vero omnes huius notae esse affirmabit ? Nonne etiam inter Christi familiae adscriptos nonnunquam huius farsuris homines deprehenduntur ? Num vero omnia iu-

<sup>u)</sup> in Theol . consc . p . 361 .

<sup>x)</sup> P . III der Einleitung in die Philosophische Wissenschaften § . 6 .

<sup>y)</sup> in vsl mod . L . 12 . T . 2 . § . 18 .

○ ) 21 ( ○

ramenta, quae ex mente ME VII z.) maximum expedi-  
endarum litium remedium esse dicuntur, propter abu-  
sum & singulorum prauitatem plane e iudiciis essent pro-  
scribenda? A grauissimis in foro versatis Viris relatum  
acepsi quod nonnulli Iudei, quoties iuramentum iis  
fuerit delatum, magno terrore fuerint percussi, qua ex  
re' cuilibet cognoscere licet, haud paucos eorum sancti  
quid & magni momenti iuramenta p̄e se ferre, per-  
suasos esse. Ea' indole praediti Iudei exemplum &  
WVLFERO exponit I.I. BECKIVS, \*) qui Christianum  
quendam suum debitorem, sed debitum adeo  
prae fractae negantem, ut ad iuramentum praestandum  
spontaneo motu se offerret, in iudicio absoluere sui-  
que aeris iacturam facere maluit, quam pati, ut periu-  
rio Nomen diuinum profanaretur.

### §. XIII.

Quod vero 3) de subdolo Iudeorum animo ob-  
iectum est, nec illud, vt sententiam mutem, me im-  
pellit. Etenim a) quilibet facile cognoscer, haec spe-  
cialia vel ad Christianos quoque interdum quadrare,  
cum proh! dolor inter illos etiam non defint, qui re-  
seruationibus mentalibus sicutum facere vano ausu sibi  
persuadeant. Et b) quod maximum est, Iudicis dexte-  
ritas hisce medelam adferre nouit, & illi, si munere  
suo rite fungi velit, incumbit, vt prius formulam iu-  
rementi cum partibus communicet, eam p̄elegat, ex-

C 3. ibi resurgit ei plicet

z.) Part. I. dec. 87. & L. I. ff. de iure iur.

\*) loc. cit. c. 76. §. 10.

plicet, & reseruationibus mentalibus, quod id fieri potest, obuiam ear, obscuritatesque & aequiuocationes remouere studeat. Quumque hae praemonitiones, quas dedit SCHAVMBVRGVS <sup>a)</sup> aliisque, semper actum praecedere debent iuratorium, multo magis, ratione & necessitate suadente, in iudiciis & maxime in Ordinatione Camerali cautum fuit, ut eae formulae, religioni iudaicae conformes, iudeo in succum & sanguinem vertantur. Priusquam autem hoc fieri amat, quaedam solemnes praemittuntur interrogations, vti testatur MYNSINGER. <sup>b)</sup>

#### J. XIV.

Sed quid quarto dubio, quod maximum prae omnibus momentum trahit, reponemus? Quodsi enim quotannis solenni ritu ab obligatione iuramenti absoluuntur, quid iam tergiuersari illos putes, in pessima etiam causa iuramentum praefare? Evidem, ut hoc elidam, eo confugere nolle, quod Apellae id fieri extixissime manibus pedibusque a se amoliri satagunt, hanc expiationem tantummodo obrestationes in communia vita elapsas, & vota, minime vero coram iudice peracta iuramenta tangere praetendentes. Nam aliud plane ipsissima verba ipsorum edocent, quae ex PHIL. ERNEST. CHRISTFELSI transcribere heic <sup>c)</sup> licet. Ita autem ille: Es müssen am grossen Ver-  
schwörungstag alle jüdischen Männer

<sup>a)</sup> In princip. prax. iudic. L. I S:ct. 1. membr. 3 § 18. p. 151.

<sup>b)</sup> Cent. 6. obs. 20. nec non NAEVII tract. de iuramento P. I.

c. 1. §. 9.

<sup>c)</sup> Im neuen Judenthum 10. Th. p. 290. lqq.

schönungs Tag zwey von deinen Vornehmsten unter  
denen Juden neben den Vorsinger siehen / und anhe-  
ben ein Gebet/ welches heist Koll Nidre/ welches  
im Teutschen also lautet : Alle die Gelübde / alle die  
Verbindnisse / alle die Schwüre oder Eyd / alle die  
Verbannungen/ alle Flüche / alle Straffen / und  
alles / was ein Name von einem Eyd ist / den wir  
ihm werden / zwischen dem jehlgen Versöhnungs-  
Tag / bis übers Jahr / der uns zu guten kommen  
wird / es mag seyn Gelübde / Verbindnissen / Eyd-  
Schwur / Verbannen / Flüche / Straffen In Sunz  
mag sie mögen Namen haben / wie sie wollen / als alle  
haben wir Reue / sie sollen alle nichts seyn / sie sollen  
alle vergeblich seyn / sie sollen alle verächtigt seyn / sie  
sollen keine Kraft haben / unsere Gelübde / Verbind-  
nissen und Eyd sollen nichts seyn.

S. XV.

Nec iuvat illos, quod, vt eo magis ab hoc crimi-  
ne se queant purgare, ad placita Rabbinorum tuorum  
prouocent, qui omnia periuria, etiam coram aliis po-  
pulis perpetrata, maximis & atrocissimis criminibus ad  
numerare solent. Loca huc spectantia lance satura das-  
bit EISENMAYER. d) Siquidem haec omnia merae  
sunt phalerae, mera pigmenta, quibus tuto fides ha-  
beri nequit. Interim gamen neo ob hanc caussam a  
me impetrare possum, vt ab omnibus iuramentis iu-  
dacos repellendos esse statuam, quia in iudiciis eo adi-

d) Im entdeckten Judenthum P. II. c. 9, p. 495.

gi possunt & debent, vt inter alia imprimis huic exceptioni renuncient, vti etiam in formulis id exprimendum est, de qua re in sequentibus.<sup>e)</sup> Ultimum dubium concernit Magistratus Christianos, quorum auctoritatem vilipendere Iudei arguantur. Nec ego temere negauerim, quod gens haec superba obtorto proflus collo ipsorum imperio sese submittat, quid? quod non nulli eos insimulant, ac si clanculum magistratibus maledicere non vereantur v. SCHVDTIVS<sup>f)</sup> Tametsi igitur iuramentum, quod iussu superiorum suorum in synagogis praestant, magna religione & reverentia respiciant; dubitandum fere tamen venit, an idem premium ei, quod a Christiano Magistratu exigitur, statuant; id quod iam IO. MULLER obseruauit.<sup>g)</sup> Enim vero & heic valet, quod SEB. IAC. IVNGENDRES pronunciauit: Es sey dannit beschaffen / wie es immer wolle / so hat man sich das für nicht mehr / als für andere Gewissen: losen Leuten zu fürchten / die der weltliche Arm schon zu seiner Schuldigkeit zu bringen weiß.<sup>h)</sup> Rectissime: Utique enim media Iudici non desunt, & haec latibula praecludendi. Hac fini inter alia ex Iudeo iuraturō quaeret, an non magistratum Christianum, sub cuius tutela vel viuat, vel in cuius potestatem peruenit, pro legitimo reputet. Hoc eo minus inficias ire audebit, quo certius constat, quod maiores ipsorum, sub iugo Babylonico gementes, ethanicis hisce

~~in iudeo iuraturō~~ studiis de 39 . nullus sit nisi Mo.

e) vid. § fin. h.c. f) I. c. T. I. L. 6. c. 33. p. 231.

g) in Iudaismo, P. II c. 8.

h) in annotationibus ad KIRCHNERI Jüdisches Ceremoniel, p. 120.

Monarchis obsequi a votibus suis iussi sunt. *Ierem XXXIX,*  
7. Quid igitur obstat, quo minus & hodierni Iudei  
praepositi sibi a DEO magistratus venerentur, & poten-  
tiam iuramenta sibi imponendi agnoscant?

S. XVI.

Ecce sane ex his, quae proposuimus, satis super-  
que apparet, quod in hoc negotio cum Iudeis for-  
mulae, ratio & modus peculiaria prorsus requirant sol-  
lemnitas. Id iam veteres probe perspectum atque co-  
gnitum habuerunt, quod vel nota illa MARTIALIS  
verba, quae Iudeorum levitatem sugillant, condocent:

*Ecce negas, iurasque mibi per templa Tonantis:*

*Non credo: iura, verpe, per Anchialum.*

Quid per anchialum Poëta intelligat, Philologis relin-  
quimus, & qui vult, vel ex IO. SELDENOf) sicim su-  
um restinguere potest. Nos illud ex hisce verbis satis  
patere existimamus, quod iam antiquiores iudicauerint,  
magna apud Iudeos heic cautione opus esse. Itaque a-  
nimum non subit admiratio, quod recentioribus tem-  
poribus id sibi negotii datum esse crediderat ICti, vt  
arctius vinculum, quo ad seruandam fidem adstringi  
queant Verpae, excogitarent. Praeprimis singulari a-  
nimi contentione Vir summus IO. CHRISTOPH. WA-  
GENSEIL g) ex ipsis Iudeorum principiis conceptam  
normam reliquit, quae communii applausu excepta &

D

ea

f) in tract. de Synedr. Ebr. L. II. c. II. p. 856. Edit. HEINECC.  
adde Acta Schol. T. I. p. 200. sqq. & 555. sq. quae plures da-  
bunt auctores.

g) In denunciat. Christ. Saepius excuse.

ea propter in nonnullis iudiciis introducta esse legitur. h)  
Nec minorem laudem meretur, quod hac in re praestitit  
e iudaismo proselytus non incelebris PHIL. ERNEST.  
CHRISTFELS i)

## §. XVII.

Quae vero hoc spectant, partim *ritus*, partim ipsas  
formulas iuramenti concernunt. Certe, quod in hoc a.  
etu religioso caerimoniae quedam adhibendae sint, res  
ipsa docet, eum quidem in finem, ut sacer quidam horror  
iurantibus incutiat, qua propter id apud omnes gentes  
moratores ysu venire perspicimus. Sic e. gr. ut alias gen-  
tes taceam, Germani nostri inde ab antiquissimis tempo-  
ribus sub variis ritibus iusturandum praestare teneban-  
tur, quos NICOL. HIER. GVNDLINGIVS k) & HEI-  
NECCIVS l) recensent. Et quem fugit, quod apud  
veteres Hebraeos caerimonias certas obseruerint?  
quodque Abrahamus erecta manu iuramento se ob-  
strinxerit Gen. XIV. 22. Imprimis autem, quod manu,  
adposita dextra femori suo sibi iurare fecerint. Gen.  
XXIV. o. m) Itaque Iudeis inter nos habitantibus me-  
rito iniungitur, ut sub variis sollemnitatibus iuramenta  
praestent. Antea collaudatus WAGENSEIL. n)  
istiusmodi

h) vid. SCHVDTIVS l. c. L. VI. c. 2<sup>o</sup>. p. 73.

i) Information, was einem Juden, der einen Eyd schwören soll, vorzuhalten.

k) in Gundlingianis P. IV. p. 324.

l) in Elem. Iur. Germ. L. 3. §. 260.

m) E multis vid. STRYK, de caus. iuram. C. II. p. 31.

n) loc. cit.

istiusmodi praescriptio: Der Jud / so schwören soll /  
 muss mit einem Rock / Gurtel und Mantel bekleidet  
 seyn / sein Käpplein auf den Kopff haben / und / bey  
 Ablegung des Eyds / auf demselben behalten, er muss  
 seine Thephillin oder Geseß / Riemien an die Stirn  
 und dem linken Arm anziehen / ferner muss eine  
 grosse Pergamentene Rolle / auf welche die 5. Bücher  
 Mosis gehörig geschrieben / und die man in der Sy-  
 nagog zu Verlesung des Gesetzes gebraucht / so / in Ge-  
 genwart Christi. Zeugen / aus der Synagog von ei-  
 vigen Juden abgeholt worden / bey Handen seyn / die  
 solle der Jud / so zu schwören hat / küssen / auf den  
 rechten Arm nehmen / die lincke Hand darauf legen /  
 sich gegen Morgen / als in welcher Gegend Jerusalem  
 liegt / wenden / den Eyd einem Christen deutlich und  
 langsam nachsprechen / und nach dessen Endigung das  
 volumen legis oder Geseß / Rolle / abermal küssen.  
 Qui ritus alias in locis variant , ita tamen , ut praecipua ,  
 quae heic obseruanda sint , satis superque in R.I. de an-  
 no 1538. Tit. XXIII. §. 6. sint praescripta.

## §. XVIII.

A caerimoniis ad ipsas formulas, Iudeo praescri-  
 bendas, pedem promouemus. Et heic quidem III. AY.  
 RER.) complures formulas, omni aevo excogitatas, legi-  
 busque etiam Imperii adprobatas esse , & adhuc prae-  
 scribi obseruat. Quaeri tamen adhuc posse , addit ,  
 an non Iudei nouerint, omnia haec illis suis pulcre co-

D 2

gitatis

<sup>a)</sup> in tract. de iuribus Iud. c. 16. §. 22. sqq.

gitatis nequitiis eludere, & vltro mendacem fraudibus subtem obiicere? Ast, vti de occultis non iudicat ecclesia; ita & hac in parte, si iudex omnia enixissime facit, quod modo in viribus humanis est positum, cetera merito ~~magistrorum~~ supremo relinquit. Et certe formulae, nerose conceptae Iudeis haud vna vice tantum terror inieccisse commemorantur, vt conscientia sua constricti iuramento abstinerint, quod testantur SCHVDTIVS, p. 10. CHRISTIAN WIBEL. q.) Istiusmodi formulas usurpatas adponere longum foret, siquidem otium hoc nobis fecere WILDVOGEL, r.) BECKIVS s.) G. H. LINCKIVS t) vt iam allegatos WAGENSEIL, SCHVDTIVM, CHRISTFELSIVM &c. raseam

### CAPVT III.

#### J. I.

DVm vero inter omnes constat, quod diuersae iuramentorum species in Iure tam Canon. quam Rom. occurrant; paullo distinctius enucleare licebit, quid circa Iudeos in praecipuis illorum obseruari in foro soleat. Evidem latissimum heic campum ingredior:

p) Imm IV. Theil der Jüdischen Merkwürdigkeiten. L. VI.  
c. 28, p. 245.

q) in praef. zu Christf. alten Judenthum.

r) in diss. de iuram. Iud. c. 3.

s) in tract. de iurib. Iud. c. 16, § 22, sqq.

t) in Resp. 101.

at vero, quia cancellis dissertationis me inclusum video,  
succinctum e multis quaedam & potiora attingam; si

## §. II.

Primum locum sibi vindicat iuramentum iudiciale, oder der Haupt & Ehd / quod pars parti in iudicio, iudice approbante, litis deciduae causa, deferrit, ita tamen, ut possit referri, ut videre est in l. ma nifestae 38. ff. de iure iur. a). Quodsi itaque iuramentum hoc Iudeo a Christiano fuerit delatum, non est quod dubitemus, quin is, eo acceptato, recte iuret; b) volenti enim non sit iniuria. Quid: quod omnibus, qui aliquem rei controvae intellectum habent, etiam personae vili & infami, adeoque etiam Iudeis possit deferri, c)

## §. III.

Quodsi nunc progeditor ad iuramentum sic dicatur necessarium, cuius indolem Dd. describunt, quodque in purgatorium abit & suppletorium s. omnino heic disquirendum venit, quoisque Iudeus ad illud sit admittendus? Et quidem de suppletorio primum verba sunt facienda. Sine discriminis Iudeum ab hoc iuramento repellere, oeconomiae juris haud conueniens esse videtur. Quodsi enim illi cum suae religionis conforme sit lis, nullum dubium subnascitur, quin semiprobanti illud possit imponi, quia haereticus con-

D. 3

a) vid. ROBERT. in Spec. aureo P. VI. de iuram. p. 334.

b) vid. WILDVOGEL d. diss. c. IV. §. 7.

c) LAVTERB. Colleg. Theor. pract. L. XII. T. 2. §. 76.

tra haereticum testimonio praebendo est aptus. d) A.  
lia tamen sententia ICtorum e) praecualeret, si actionem  
contra Christianum instituat. Suffulta est ipsorum o-  
pinio expressis textibus, quia ad testimonium perhi-  
endum nullo modo admittuntur, p.l. 21. C. de haeret.  
nec eam per aliquam pragmaticam sanctionem imperii,  
nec per certam in toto imperio receptam consuetudi-  
nem abrogatam esse, egregie obseruat HARPRECHT f)  
Multo minus igitur in propria causa ad supplendam  
semiplenam probationem iis hoc debet deferri. Huic  
sententiae illustris ICtorum Wittebergensium ordo ad-  
stipulatur, vii certiores nos reddit laudat. HARPR. g)  
& STRYK. h) Consulatur quoque Ill. SAMVEL de  
COCCII i) qui tamen addit: *In curia Halberstadtensi  
Iudeos testes saepius admissos fuisse memini.* In Camera  
Imperiali contrariam quoque sententiam praecualere, te-  
statur MYNSINGER. k) At huius obseruantiae plane se  
immemorem esse affirmat STAMMIVS, Adseffor quon-  
dam Camerae Imperialis, notabiliter scribendo: *se non  
vidisse, in Camera Imperii istum stylum in causa Iudeorum  
obseruari. l)*

d) p.l. 21. C. de haeret.

e) Probatissimos Viros allegauit BECKIVS eit, loc. a. XVI § 29.

f) Vol. nou. conf. XI. n. 24.

g) d. conf. XI. n. 29.

h) in tract. de caut. iuram. P. III. sect. 3. c. 6. n. 95.

i) in jure ciuili contr. L. XII. T. 2. Q. 45.

k) Cent. 5. obs. 6. vid. IO. CAROL. NAEVII tract. de iur.  
P. III. c. 1. § 9. l) vid. HARPRECHT, l.c. n. 33. lqq.

§. IV.

Semiplena fides libris mercatorum quoque tribuitur, ut monet LAVTERBACHIVS, <sup>m)</sup> qui simul tamen requirit, ut mercator proferens sit bona famae, & persona fide digna. Quum vero huius commatis Iudei non sint, facile cognosci potest, quod Iudeorum mercatorum libri talem vim non habeant, ut ad iuramentum suppletorium admittit possint, eo casu, si iis res cum Christiano sit, <sup>n)</sup> Quousque enim semiplenam tantum probationem, qua demum cunque ratione sit facta, praese habent in causis Christianos concorrentibus; id praestando minus sunt apti: facilis enim admittitur Christianus quam Iudeus, <sup>o)</sup> &, quamvis hic semiplene probauerit; illi tamen suspicionibus grauato, purgatorium potius, quam Iudeo suppletorium, deferendum esse, censer BERGER. <sup>p)</sup> Alter tamen dicendum, si ab eorum parte sit semiplena maior facta probatio, ubi ab eo arceri haud possunt. <sup>q)</sup> Talem casum refert WILDVOGEL. <sup>r)</sup>

§. V.

Suppletorium excipit iuramentum purgatorium, quod

<sup>m)</sup> in Colleg. Theor. pract. L. XII. T. 2. §. 74.

<sup>n)</sup> vid. III. BOEHMERVS in iur. Eccl. Prot. L. II. T. 21. §. 9.

<sup>o)</sup> vid. CARPOVII Iurispr. For. Rom. Sax. P. I. Cet. st. 13. def. 7.

<sup>p)</sup> Ad tit. 32. Proc. in fid., & NAEV. l. c. p. 305.

<sup>q)</sup> Cel. ENGAV. in Elem. iur. can. L. III. tit. 3. de Iudaismo §. 19. ibique alleg. WERNHER. T. I. P. 3. obs. 176. n. 21.

<sup>r)</sup> l. c. cap. IV. §. 3.

quod tam in criminalibus quam ciuilibus cauiss, & quidem in prioribus , ybi indicia non sunt tanta , vt tortura iniungi possit , in posterioribus , si suppletorium locum hand inuenit , adhibetur . Hoc iuramento Iudeus , a Christiano accusatus , suspicionis a se remouendae adeoque innocentiae suae probandae gratia , vti potest , eam ob cauissam , quia non contra tertium , sed ad suam ipsius defensionem praestatur , unde nihil praetudicij Christiano emergere potest . Hoc modo facultas Illustris ICtorum Halenium , cum varia dubia invenientur , pronunciauit ; casum in terminis recenset Illustris BOEHMERVS . s ) Euadem in modum facultates Wittebergenis & Altorfina responderunt apud BECKIVM . t )

## §. VI.

Ordo nos deducit ad iuramentum in item , vbi actor rem in iudicium deductam , iudice deferente , acquisimat . Maximum emolumentum ex hac iuramenti praestatione actor capere potest , siquidem ipsi integrum est , res detrectatas ultra rerum pretium aestimare , idque ob dolum rei coercendum n ) Huius iuramenti autem Iudeos haud capaces agnoscunt Dd . ratione generali permoti , quia ipsis in legibus , testimonium contra Christiani nonniis cultores praebere , interdictum

s ) I. E. P. L. II. T. 24. §. 79. p. 132.

n ) loc. cit. cap. XVI. §. 34.

n ) vid. L. i. ff. de in lit. iurando.

dictum est, per leg. 21. C. de hereticis. x) Quicquid autem occasione iuramenti suppletorii dictum fuit, id quoque ad omnes hos quadrat casus, vbi Iudeus in propria causa Iudicem quasi agit. Eodem igitur modo ad iuramenta minorationis, Zenonianum, & ad reliqua, causas Christianas spectantia, Iudeos admittere, ratio legesque prohibent; vbi enim eadem ratio, ibi eadem legis dispositio adsit, oportet, iuxta l. 32. ad L. Aquil.

## §. VII.

In territoriis, vbi ius commune viget, per mandatarium vel Procuratorem speciali mandato siue charta blanca instructum iurari posse liquet. Quaeſtio igitur haud incongrua oritur, an tali beneficio etiam Iudeus fruatur? vt Christianum nempe Procuratorem possit constituere? Casum quendam recenset SCHVDT, vbi decisio eo modo fuit concepta, vt per Christianum Procuratorem fieri haud permisum esset, sed potius per alium Iudeum congruo modo instructum, y) Hanc obſeruantiam in desuetudinem in Camera Imperiali haud abiuſſe, ratione appellationis iuramenti, nos certiores reddit Illustr. ESTOR dicendo: z) Ein Jud muß den Appellations End entweder selbst am Cammergerichts oder durch einen besonders hierzu bevollmächtigten Juden ablegen.

## E

## §. VIII.

x) vid. WILDVOGEL. loc. cit. & BECKIVS loc. cit.

y) loc. cit. im 4ten Theil, 6ten Buchs cap. 28, §. 7.

z) Anfangs-Gründe des gemeinen und Reichs-Proceſſ 4ſ. Hauptſtück S. 1118. 1.

## §. VIII.

Dum iam in eo sumus, ut leui huic dissertationi colophonem addamus, in Francofurtensi noua in republica litteraria occurrentia recensente diario quaestione propositam reperimus: an femina iudaica, quae ad iusurandum in foro adigitur, a Christiano Magistratu ad illud iure admitti queat? Sed ne dissertationis limites excedamus; vela contrahimus, benevolum autem Lectorem, qua decet, obseruantia rogamus, ut leuia haec aequi bonique consulat. Imprimis autem summo Numini pro concessis viribus & omnibus aliis, quae larga in nos contulit manu, gratiae suae documentis denotissimas persolvamus

gratias

SOLI DEO GLORIA.

---

*Errata*, p. 5. lin. 14. Reusekius lege Reisekius. p. 15. lin. 3.  
addi l. addit. p. 21. l. 12. praefractae l. praefracte.








**ULB Halle**  
004 060 741

3





B.I.G.

Farbkarte #13



23  
1747,3  
17  
DISSE<sup>T</sup>RAT<sup>O</sup> IN AVG<sup>U</sup>RALIS IVRIDICA  
DE  
**IVRAMENTO  
IVDAEORVM**  
von Juden & Eyd

QVAM  
DIVINA AVXILIANTE GRATIA  
EX DECRETO  
*ILLVSIRIS ICZORVM ORDINIS*  
IN ALMA LUDOVICIANA

PRAESIDE  
*VIRO ILLUSTRI, MAGNIE ET CONSULTISSIMO*  
DOMINO

D. IO. FRIDERICO KAYSER  
ICTO CONSMATISSIMO IN REGIMINE ET CONSISTO-  
RIO ECCLESIASTICO DIRECTORE GRAVISSIMO IVR. P. P. O.  
ET PRIMARIO H. T. ILLVSTRIS IVRIDICI ORDINIS DECA-  
NO SPECTATISSIMO NEC NON RERVM OECONOM.  
INSPECTORE PERPETVO

PRO FACULTATE SVMLOS IN VITRO QVE IVRE  
HONORES ET PRIVILEGIA DOCTORALIA  
RITE ET LEGITIME CONSE<sup>Q</sup>VENDI  
PVBLICAE ERVDITORVM DISQVISITIONI

S V B M I T T I T  
AVCTOR ET RESPONDENS  
JOHANN GVILIELMVS ENGLERT

SVINFVRTO - FRANCVS  
DIE DECEMBER. 15 1747.

GIESSAE, TYPIS E. H. LAMMERS, ACAD. TYPOGR.

